Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 2297

Quelle:
Copyright:

morte reſuſcitato, quod illi C. VIII. p. 225. recitant e *Jucundo*, totidem verbis *Legendam* noſtram terminat. Conſtat illa *Praefatione*, cujus initium: *Illuſtriſſimi uiri uitam Seruatii ſtemate inclyto nati meritis ſuper ethera exaltati* &c. prout citatur etiam in *Hiſt. Lit. Franc.* T. VIII. p. 342. Diviſa eſt in *Libros* II. praemiſſo cuivis *Capitum* Indice. Prior conſtans *Capp.* XXX. *Servatii* vitam percenſet, orditurque: *Floruit enim Caput Metropolis francorum tungris* &c. Alter *Capp.* XXXVIII. et ipſe *Praeloquio* inſtructus eſt hujus tenoris: *Translato ad Superos Servatio opera poſtuma enarrari poſtulat ordo* &c. et maximam partem in Miraculis recenſendis occupatur. C. I. incipit: *Poſt renouati denique dominica paſſione ſeculi luſtra ferme LXX.* &c. Ultima de *Milite* ſupra dicto ſunt: *ad congregationes ſanctorum tripudianter abibat.* Catalogus Libb. Ducis *Vallerii* P. III. p. 96. Libellum in 4. indicat hac clauſula: *Explicit ſanctiſſimi ſeruacij tungrenſis eccleſie preſulis et conſanguinei Chriſti legenda de nouo ſtilo claro ac eleganti compilata Colonieque Impreſſa per me Arnoldum ther hoyrnen finita Anno domini M°. CCCC°. LXXII° die Mercurij quarta menſis Marcij.* Idem Libellus extare dicitur in *Bibl. Reip. Baſileenſis.* Suſpicor eundem eſſe cum *Noſtro*, dictione fortaſſis aliquantum immutata, ut poſtmodum in quibusdam SS. Actis fecit *Surius.*

DCXI.

Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 228. f. nitide ſcriptus hunc praefert titulum: *Ad Sereniſſimum et Chriſtianæ Religionis ſtudioſiſſimum Principem et Dominum D. Rudolphum Rom. Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Regem &c. De ueri in Eccleſia Dei Regis offitio ac Poteſtate Paræneticon.* Fol. verſo ſequitur *Ad Eundem* Carmen Aſclepiadeum: 185

Rudolphe Imperii Romulidum Vnica
Spes et Chriſticolúm præſidium et decus:
In te cum celebris luceat Indoles,
Totque Europa malis fracta miſerrimis
Et polluta ſuo ſanguine plurimo
A te quæ fuerint Principis optimi
Speret: cum lachrimis Vlnera et indicet,
Hæc ad te uolui ſcribere paucula &c.

Succedit *ad Eundem* Praefatio. — *Ego quoque Chriſtianiſſimi et Clementiſſimi illius Aui Tui, Ferdinandi Imperatoris beneficentia in Auſtrienſi Academia* (Viennae) *et in Hungaria* (Praepoſitura S. Thomae ad Strigonium) *ornatus aliquod tibi ad afflictæ Pannoniæ,*